UNIVERSA

PACIS, BELLIQUE PRAESIDIA

In Mathematicis disciplinis collocari.

ORATIO

HABITA

AB HERCULE CORAZZI

ABBATE OLIVETANO,

AC

Instituti Scientiarum Mathematico,

CUM

IN CELEBERRIMO BONONIAE ARCHIGYMNASIO

Docendae Analyseos provinciam

Publice susciperet.

Eminentiſs., ac Reverendiſs. Principi

JO: BAPTISTAE SPINOLAE

S. R. E. Cardinali Cam.°

HERCULES CORAZZI

F.

Nulla eſt grati animi ſignificatio tanta, quae non tibi ab Olivetana Societate debeatur, Princeps Eminentissime; *nulla, quae ſatis*

ſit. Ego equidem, qui non communi tantum nomine, ſed privato etiam plurima debeo, nolui diutius ingratus videri. Itaque ſedulo reputans, quid tibi potiſſimum pro multis in nos beneficiis rependere poſſem, aut quid eniti, quo magnam rependendi voluntatem ſignificarem, hunc tibi qualemcumque laborem noſtrum mittendum duxi. Non eſt quidem munus; nec ego is ſum, qui munera Principi dare poſſim; ſed tale quiddam eſt, unde omnes intelligant, te illi benefeciſſe, qui beneficium agnoſcit, & quod eſt hac aetate rariſſimum, debitionem publice confitetur. Ceterum orationem hanc in patrio Archigymnaſio habitam inter adverſaria perpetuo reliquiſſem, quod ipſa per ſe nihil habeat litterarum luce, nihil hominum expectatione dignum. Tu cur exe-

at, in cauſſa es; tuis ſe tuetur auſpiciis; tuoque, ut ſpero, beneficio, eo penetrabit, ubi eloquentia veluti loco ſuo collocata bene habitat, hoc eſt ad BEATISSIMUM PATREM Studiorum noſtrorum non modo dominum, ſed aeſtimatorem, ac judicem. Eſt aliquid ingens, atque inſigne, ſummam obtinere in orbe terrarum poteſtatem; ſed obtinuere multi: at vero cum ſumma poteſtate ſummam litterarum laudem conjungere, miraculo prope ſimile eſt, nec ſcio, an ulli antea contigerit. Sed nolo in ejus laudes diſcurrere, quae non modo mea, ſed cujuslibet eloquentia majores ſunt. De te vero, PRINCEPS EMINENTISSIME, *neque locus, neque tempus patitur, ut multa dicam: dicere autem pauca de tantis virtutibus nefas eſt. Interim perge, qua coepiſti, ſingulari*

ri benignitate, ac patrocinio de nobis, deque Societate nostra benemereri: nec existimes posse nos de te, tuisque beneficiis ullo tempore conticescere.

Bononiae Kal. Sext. MDCCXV

ORATIO

ETſi mihi cunctis ferme & artis, & naturae praeſidiis deſtituto imperari gravius nihil poterat, quam ut Analyſim Matheſeos partem difficillimam publice tradendam ſuſciperem; in magno tamen rerum mearum diſcrimine vehementer laetor, id mihi non moroſa aliqua in Urbe, ſed Bononiae, non extera in Civitate, ſed in Patria contigiſſe. Praeterquamquod enim ipſa loci natura noſtrorum hominum ingenia mitiſſima ſunt, & ad ignoſcendum prona; illud inſuper addit animos, ſuſceptoque in munere confirmat, quod qui Patriae navat operam, non viribus, & facultate, ſed voluntate potius in ſuos, & pietate quadam

probatur. Illi profecto timeant, animumque despondeant, qui merces nescio quas venditaturi ultro accedunt ad alienos; nullaque re praeterea, quam suis opibus, ac ingenio commendantur. Ceterum qui naturae vinculo, & soli conjunctione civis civi prodesse debet, nonne satis officio fungi suo videatur, si vel levia in medium afferat; dummodo ea sint ejusmodi, quibus nihil possit ab eo majus expectari? Tametsi, ut verum fatear, quid erat cur ego ab hoc quasi amantissimae Urbis sinu impuber adhuc avulsus celebres tota Italia Academias perlustrarem, nisi aliquid demum, multis ad hanc usque aetatem exanthlatis laboribus, ac vigiliis, collegissem, quo communi huic nostrae aliquando placerem, aut saltem non displicerem civitati? Quem quidem meum in Patriam animum, propensamque in bona publica voluntatem, si nihil praeterea patefaceret,

ret,

ret, genus certe ipſum, ratioque a me inita ſtudiorum ſatis oſtendit. Cum enim id mihi a principio propoſuiſſem, ut eo potiſſimum contenderem, unde major huic Urbi gloria, atque emolumenta plura exiſterent; inque omnes litterarum partes mentem, cogitationeſque intendiſſem; una denique in Matheſi conſtiti, eique me totum tradidi; quod nuſquam alibi boni civis opera collocari laudabilius videretur. Ita ſiquidem mihi perſuadeo, omnibus artibus, ac ſcientiis peculiares quaſdam ineſſe vires, ac facultates ad humani generis conſervationem, & incrementum: verumtamen Mathematicas diſciplinas tam longe, lateque rerum pulcherrimarum copia, & magnitudine patere, ut omnia contemplationis, & actionis bona ſuis quaſi terminis concludant; nihilque iis bene conſtitutae civitati poſſit eſſe opportunius. Ecce vobis quid omnino ſentiam de re tota; quoque

animo impoſito mihi oneri ab Excelſo Senatu primum ſuccedam: qui juſſus in re difficillima laborare, adeo nihil immenſum plane opus reformido, ut etiam dicendo augeam; eoque ingenioli mei vires, ſiquae ſunt, conferam univerſas, ut magnitudinem demandatae mihi provinciae ipſo ſtatim in limine mente, verbiſque complectar. Haec me ſcilicet offuſa oculis loci majeſtas, auditorumque amplitudo valde erigit, & confirmat; nihilque poteſt eſſe cauſſae, cur timore vel leviſſimo percellar, ubi paratiſſima video incredibilis humanitatis, ac benevolentiae praeſidia. Te unum dum intueor, Legate Eminentiſſime LAURENTI CASONE, valde commoveor, ac mente vix conſto: non quod vel mihi, vel cuiquam liceat de tua illa humaniſſimi ingenii indole, ac naturae bonitate dubitare; ſed quod audacis hominis ſit, ac paene impudentis venientem ad Principem nihil afferre prorſus

ſus dignum Principe. Ergo quemadmodum imperando, geris te non Principem, ac Dominum, ſed inaudito plane benignitatis exemplo tamquam e nobis unum; ita haec audiendo, tu te paullum demitte, nec reputa, quid pro dignitate, ac ſapientia tua dici debeat, ſed quid, te abſente, de more diceretur. Tu quoque magnum ſecutus exemplum, Juſtitiae Vexillifer nobiliſſime, voſque ſapientiſſimi Conſules, Senatores ampliſſimi, Patriae Patres amantiſſimi hominem excipite publica nunc primum pericula ſubeuntem. Nec vero pluribus rogandi eſtis, qui & tuemini beneficium veſtrum humaniter agendo, & numquam agere conſueviſtis niſi humaniter.

Si artis, ac diſciplinae cujuſque pretium, & aeſtimatio ex ea praeſertim, quam Rebuſpublicis utroque tempore afferre poſſit, utilitate metienda eſt, quanti hanc admirabilem diſciplinam, quam, publica

auctoritate jubente, suscipimus explanandam, Mathesim inquam, ab unaquaque sapienter constituta civitate faciendum esse arbitramur? Tantum enim ex hac magna Arte, ac paene divina, ut veteres illi nuncupavere, Reipublicae emolumenti emanare, quantum ex alia disciplinarum nulla perspicuum est. Et, ne longa disciplinarum omnium comparatione fastidium vestris animis afferamus, in nostrae facultatis laudes recta ibimus, atque ita paci, belloque opportunam, & utilem ostendemus, ut omnibus facile deinde futurum sit, vel me tacente, intelligere, quantum ea supra ceteras artes, ac scientias juvandae Reipublicae quasi ingenio conscendat. Et quidem, ut ab eo tempore statim ordiamur, quod & natura, & mortalium voto primum est, quaecumque Rempublicam in pace vel firmant, vel augent, vel exornant, ea omnia, si recte ratiocinabimur, uni ac-

cepta

cepta disciplinae Mathematicae referemus. Nemini dubium est, quin civitatum, ac Rerumpublicarum firmamentum Leges sint, quae, & praemia bonis, & malis supplicia, meritis aequa lance utrinque pensatis, decernunt; a qua profecto vel praemii, vel supplicii decernendi aequitate damno publico discedant necesse est, nisi praesto Mathematica sit disciplina, quae singularum diligenter expendat momenta rerum, servataque mensura, et ea, quam vocant, proportione, quae unicuique debentur, pro dignitate distribuat. Sapienter propterea Plato Jus omne proportione quadam, & comparatione constare docuit. Quod sane quid aliud fuit, quam Mathesi, omnis mensurae quasi magistrae, servati, ac rite administrati Juris laudem tribuere? Nec immerito. Stat enim revera hac veluti fundata basi optima Reipublicae constitutio, & beata civium pax, & tran-

quil-

quillitas. Imperant hinc ſine invidia Magiſtratus; hinc ſubjecti parent ſine querela; hinc juſta honorum pariter, ac onerum diſtributio; nanciſcitur hinc benemeritus de Republica civis, in quo virtus ejus acquieſcat; hinc patitur qui peccavit adeo pro meritis irrogata ſupplicia, ut de Judicum ſententia queri non poſſit. Rempublicam porro ita firmatam, communitamque auget mirum in modum facultas eadem, quae firmavit, communivitque. Hic vero latiſſimus ſeſe aperit laudum campus ampliſſimarum, quas uni ſibi prae ceteris vendicat noſtra haec perinſigni Dei munere conceſſa hominibus diſciplina. Haec autem ſit prima laus, eademque admirabilis, plurimarum videlicet artium, diſciplinarumque feliciſſimam genitricem Matheſim eſſe. Longo enim quaſi agmine parentem fecundiſſimam comitantur, quae nos in aſtrorum cognitionem deducit, Aſtronomia; quae

die-

dierum, noctiumque periodos varia ratione metitur, Horolographia; quae numeros mira arte considerat, Arithmetica; quae rei totius quasi fastigium attingit, quaeque nos compendiaria via, artificio summo, certissimo exitu manuducit ad veritatem, Algebra; & ut singulas breviter percenseamus, Optica, Musica, Geometria, Geographia, Chronologia, Mechanica, Statica, Architectonica, Nautica. Has autem partes omnes, quasique filias non sibi uni progenuit, vel mentibus studiosorum tantummodo recreandis, sed feliciter genitas, affabreque educatas liberalissime in vulgus edit, & bono publico exhibet, mancipatque. Circumspicite tantisper, Auditores, si libet, Reipublicae utilissimas artes, & siquam invenire potestis, quae non vel maxime ex hoc veluti fonte concrescat, tunc me vana persequi argumenta laudum existimate. Quae enim ratio esset colendo-

rum

rum agrorum, quae arborum ſerendarum, niſi & benigna ſidera indicaret, & temporum vices, lunaeque tam varias mutationes Aſtronomica diſciplina perpenderet? Quae praediorum dimenſiones, quae fluminum derivationes, qui provinciarum fines, qui regnorum certi limites, niſi ubique ſuis occurreret menſuris Geometria? Quam diverſa, & quam confuſa temporum ratio ſine Chronologia, cujus maximus eſt fructus ad antiquas poſſeſſiones, & familiarum jura conſervanda! Quae regionum deſcriptio, quae certa peregrinationis ratio, quae locorum notitia, niſi doceret Geographia? Qui umquam morborum periodos, & criſes ſine Arithmetica, vel ſine Geometria membrorum ſitum, & luxationem Medicina cognoſceret? ut non immerito Theſſalo filio Medicorum Princeps Hippocrates praeceperit, ut facultatem utramque ad Medicinae uſum perdiſceret.

discceret. Quanta cum in privatis, tum in publicis negotiis, rerumque, ac pecuniarum administrationibus oriretur confusio, ac perturbatio; quanti laterent doli; quantae fraudes, nisi subducendis rationibus praesto esset admirabilis numerorum scientia? Quid de Navigatione dicam? an putamus, eam vel a principio existere, vel postmodum consistere, florere, augerique, adeo feliciter, sine Mathematica potuisse? Haec nimirum naves mirifica primum arte construxit, suisque libratas quasi ponderibus in altum invexit: haec ventorum vim vel adversam, vel prosperam indicavit, & velorum sinibus vel excipere docuit, vel moderari: haec siderum ortum, occasumque, haec naturam eorum, & facultatem, haec bonum, malumque omen ostendit. Hinc optime instructus nauta certum didicit per immensa aquarum spatia tenere cursum; hinc imminentium

vim eludere tempeſtatum; hinc caeli furorem, naufragium, rerumque omnium jacturam minitantis praeſentiendo evitare. Ecce demum cui tot, tantaque mercaturae commoda Reſpublica debeat; cui eorum, quae aſportantur, & importantur, innumeras utilitates; cui denique unde rerum omnium copia circumfluit, unde floret, unde omni ex parte mirum in modum augetur. Denique quae, & quanta ſint Mechanicae bona, ſatis liquet in omnibus artibus ſellulariis. Haec nimirum architectis, & lapicidis fabricat amuſſim, libellam, circinum; fabris lignariis runcinam, gnomonem, terebram; vinitoribus dolia, & torcularia; tritoribus molas truſatiles; lanariis rhombum; aurigis petorita; naucleris clavum, anchoras, vela, aliiſque alia. Neque vero ex Matheſi augetur tantum Reſpublica, ſed etiam incredibiliter exornatur. An non enim maximum civitatibus ornamentum

eſt Muſica, cujus gratiſſimis vocibus, & concentibus templa quotidie, ac theatra reſonant, quae regnat in aulis maximorum Regum, ac Principum, in qua omnium aures, animique conquieſcunt? Aſt haec unde, quaeſo, niſi a noſtra, quam laudamus, facultate, ſuos numeros, ſuos modos, ac rhythmos mutuatur? Tolle Mathematicam diſciplinam, jam Muſicae ne nomen quidem relinquitur; jam omnem vocum, ſonorumque varietatem, ſuavitatemque ſuſtuliſti; jam nihil amplius eſt, quod commoveat in flexis, quod in acutis excitet, quod ſuſtentet in gravibus; incondita ſine lege ferantur omnia neceſſe eſt, abſurda, inconcinna. Jam vero Architecturae quale, quantumque ornamentum ſit, quis, modo oculos habeat, non plane videt? Tanta aedificiorum ars, & pulchritudo, tanta laquearium ſtructura, & contignationum, tectorum tanta varietas, tanta graduum di-

 ſtin-

ſtinctio, & cubiculorum, tam varia, tamque admirabilis proſpectuum, & fornicum diſpoſitio, tantus denique omnium partium ordo, ſpecies, ac figura, nonne ingentem civitatibus ſplendorem afferunt, ac dignitatem? At horum nihil ſine Mathematicis menſuris, ac proportionibus exiſtere potuiſſet. Ex hac arte multiplices illi aedium conſtruendarum ordines extiterunt; huic ſuum Dores debent, ſuum Jonii, Corinthii ſuum, nos quoque Itali noſtrum debemus. Sine Mathematicae facultatis beneficio non fuiſſent in tanta hominum fama, & admiratione neque moenia quondam Babylonis, neque AEgypti pyramides, neque Artemiſiae opus illud inſigne Mauſoli ſepulcrum, neque quaecumque hujus generis alia, quae ad miraculum uſque ſuſpexit antiquitas. Jacerent enimvero, jacerent in tenebris cum ſuorum auctorum nominibus ignota opera Vitruvii, Sanſovini,

ſovini, Palladii, Bonarotae, Thebaldi, ſimiliumque famae ingentis artificum, niſi Mathematicae quaſi lumen accederet. Quid vero de Pictura dicam? quid de arte Statuaria? a quibus quantum ornamenti, ac ſplendoris noſtra Patria cepit, tantum uni debetur Mathematicae diſciplinae, ſine cujus legibus, menſuris, ac modis eſſe nullo modo perfectae potuiſſent. Haec docet, quomodo apte, & harmonice ſingula membra efformanda ſint; haec efficit, ut ſingula ſingulis proportione reſpondeant; haec ſuggerit, quod in ficta rei deſcriptione tam pulchre naturam imitatur, quod viget in oculis, quod ſpirat in ore, quod delectat in geſtu. Sed jam mecum tantiſper, quando oculis non poteſtis, mente, & cogitatione artificioſe conſitum, inſtructumque viridiarum aliquod contemplamini. Videtis quam apta ſit glebarum diſtinctio, ac ceſpitum collocatio?

cernitis, quam variis, mirisque modis dispositae areolae sint, consiti flores, discriminatae viae, directae arbores, deducti, libratique fontes, omnia demum optime dimensa, atque descripta? Numquid putatis tantum urbanarum, ac rusticarum aedium ornamentum cum tanta spectantium delectatione conjunctum sine Mathesis ope, quae suum quaeque in ordinem certa ratione digereret, contingere potuisse? Ego hercule non existimo, qui omnem ab ordine pulchritudinem petendam esse non ignoro, quique ordinis parentem, ac magistram Mathesim agnosco, atque suspicio. Sed jam ab iis, quae Rempublicam in pace firmant, amplificant, ornant, ad ea, quae eamdem belli tempore defendunt, ac promovent, gradum faciamus. Utinam in eo semper haec felicissima Urbs statu maneat, in quo nunc Dei Optimi Maximi beneficio, & CLEMENTIS XI. Pon-

tificis

tificis vigilantissimi nulla orationis copia, satis aequanda cura, diligentiaque reperitur. Armis enim circumperstrepentibus, omnique ferme Europa bellorum, impetu agitata, atque impulsa, ipsa tamen in sinu pacis, invidenda plane fortuna, conquiescit. Sed tamen, si quando, quod numquam optandum est, nonnumquam necessarium bellum aliquod exoriatur, suam eoquoque tempore non inutilem Patriae operam Mathematica, disciplina promittit, atque adeo, si verum fateri licet ingenue, necessariam, ut sine illa bellum recte administrari non possit. Non erit, credo, difficile, hujusce rei veritatem intelligere, belli instrumenta omnia, ac officia brevi cogitatione perlustrare volenti, quorum nulla fere sunt; quae Matheseos opera, artificioque non quammaxime indigeant. Nam neque nostra contra illatam tueri vim ullomodo possumus, neque rursus aliena

ire oppugnatum, hoſtiumque potiri, niſi ars noſtra ſe offerat, quae & propugnanda muniat, & rationem oſtendat ſubruendi, impellendique oppugnanda. Hac duce, quaſique magiſtra moenibus oppida ſepienda ſunt, locandae arces, valla cum foſſis circumducenda, omnia denique munimentorum genera, quae prope innumera ſunt, recte, & ex ordine fabricanda, atque adhibenda. Quod ſi portis exeundum ſit, ſignaque in hoſtes, vel hoſtium propugnacula inferenda, tum vero maximus facultatis noſtrae uſus oſtenditur; alibi in cuniculis vel agendis, vel excipiendis; alibi in machinationibus moliendis, contorquendiſque: tota hic in metandis, atque obvalandis caſtris; tota illic in inſtruenda, dividenda, quadrandaque acie; praeſens ubique ſuis numeris, ſuis dimenſionibus, ſuis inſtrumentis, ope ſua. Fingite animis aliquod optime inſtructum, quod uſpiam videri-

deritis, armamentarium. ex qua tandem officina infinitam telorum, tormentorumque multitudinem eductam arbitramini? unde tantum creditis extitisse numerum gladiorum, ac jaculorum? unde copiam tam variam scutorum, hastilium, galearum, arcuum, ac loricarum, ceterorumque tum offendentium, tum defendentium noti nominis armorum? unde etiam plurima illa, quorum usum nostri temporis militia capit, nomina vero latina lingua non capit? utique omnia suo quasi e sinu artifex Mathesis effudit; a qua quicumque demum armati, instructique bella susceperunt, hostium spoliis onusti magna cum laude domum redierunt: qui vero eam militiae, castrorumque habere sociam neglexerunt, magna saepe cum clade, ac dedecore miserrime perierunt. Hac potissimum navante operam, invictae stetere diu contra Romanorum impetum Syracusae, omnes

eorum vires, atque apparatus perlevi momento ſuis ludificante machinis Archimede. Ex hujus diſciplinae ſchola, tamquam ex equo Trojano, numquam intermoriturae famae egregii bellatores, ac duces exierunt, laudatus modo Archimedes Syracuſanus, Archytas ille Tarentinus, Eudoxius Gnidius, aliique innumeri, de quibus dubitari merito poteſt, pluſne ſuae ipſorum virtuti debeant, an Matheſi. Cuneo facto paucos Caeſaris milites ingentem Sicambrorum exercitum perrupiſſe memoriae proditum eſt, incolumeſque evaſiſſe. Cui potius ſuam gratulentur felicitatem, quam Matheſi, quae viam per confertas hoſtium acies vadentibus patefecit? Orbe facto trecenti Legionarii ſex millia Morinorum quatuor amplius horis ſuſtinuerunt. dedit Matheſis artem, qua ſuſtinerent. Ita res ſucceſſit iis, qui in bellis Matheſis ope uſi ſunt. non item Grae-

cis primum in Trojanos euntibus, qui quoniam Geographiae, hoc eſt Matheſeos partis ignari eſſent, aberrantes, re infecta redire domum coacti ſunt. Non item olim Philippo Macedonum Regi, qui aggreſſus Melitaeorum civitatem proditione occupare, ſpe fruſtratus cum ignominia reverſus eſt, quod nec temporis, nec moenium menſuram recte cepiſſet; hoc eſt, quod Matheſeos leges vel ignoraſſet, vel neglexiſſet. Talis, tantuſque eſt, Auditores, Mathematicae doctrinae uſus in bellis ad frangendos hoſtium impetus, arteſque eludendas: nec minus tamen putetis opportunam ad ea damna repellenda, quae omni bello infeſtiora urbibus, & agris natura ſaepe ipſa fluminum eluvionibus minitatur. Hic vero ſuas, quantas habet, Matheſis vires explicat; hic ſeſe obiicit arte ſua magna volubilitate deorſum ruentibus aquis qua aggeribus moliendis, qua de-

 rivan-

rivandis fluminibus, qua demum quovis alio obicis genere ruinae obviam eundo. Senſere Matheſeos hac in parte beneficium olim AEgyptii, quorum contentiones de agrorum finibus, quos Nili exundatio quotannis confunderet, non ſemel Geometrica facultas noſtra compoſuit. Sentiemus (annuente CLEMENTISSIMO Principe) artis hujus beneficium & nos, cujus gratia, & ope huic Urbi, hiſce agris Rhenus parcet; qua prohibente abeſt meſſibus, & ſatis, quibus alimur, ac nutrimur, miſeranda calamitas. Neque vero quae ad publicam utroque tempore utilitatem exponit Mathematica, ancipiti quadam methodo, vel incerta ratione, ut ceterae facultates, in lucem edit. Non abnuerim ſane, Philoſophiam, Oratoriam, Politicam, Jurisprudentiam Reipublicae multum ſuffragari, ac prodeſſe; verumtamen quam mihi dabitis ſcientiam aliam praeter Matheſim,

quae

quae fundamentis uſque firmiſſimis innitatur, & inconcuſſa continenter rationum vi confirmetur? Hoc vero Mathematicae proprium eſt diſciplinae, adeoque proprium, ut, ſi quando facultates aliae in ratiocinando certa dicunt, ea non aliunde fere, quam ab hac ſcientia noſtra omnium longe certiſſima mutuentur. Enim vero quid certius, quid evidentius, quam ea ratiocinandi Methodus, quam Analyſim appellarunt? Haec nimirum, quae ab inſita rationum firmitate, & evidentia Mathematica dicitur rationalis, & quaſi Logica ceterarum Matheſeos partium, via quadam breviſſima, & naturae maxime conſentanea, eademque certiſſima, per eas videlicet, quas ſpecies appellant, ad veritatem nos ducit; unde Matheſis univerſalis a doctiſſimo Rinaldino dicta eſt. Nunc demum intelligo qua de cauſſa divinus Plato, & ſubinde incomparabilis in-

genii vir Renatus Cartesius, ut res physicas, praesertim vero de motu, & quiete omnium corporum, confirmarent, ad rationes Mathematicas confugerint; & hoc veluti sale sua omnia consperserint! Quid quod Platonis Politia Mathematicum lectorem usque adeo desiderat, ut non defuerint, qui solos Mathematicos locos sibi sumpserint explanandos! Quot vero problemata ab antiquis proposita, & frustra tentata, a Cartesio postmodum, a Mengolo nostro, a Nevvtonio, & ab aliis Analyseos studiosis soluta sunt quam certissime, & expeditissime? Quam mirifice etiam sapientissimus Bonaventura Cavallerius, hujus Archigymnasii ornamentum, & decus, indivisibilium methodo Geometriam exornavit? Auctorem tantum summa cum laude secuti subinde VVallisius, & alii multi, analyticis usi methodis, nova quaedam, ac prorsus admirabilia detegendae veritatis artificia

indu-

induxere. Sed longe haec omnia superavit Leibnitius methodo sua, quam differentialem calculum appellavit. Nam finitis terminis coarctari nescia infinitum penetrat, novisque, & numquam antea cognitis quasi regionibus viam planissimam aperit collustrandis. Haec Analyticae artis complementum est, & tamquam fastigium; sine cujus ope multarum, magnarumque rerum cognitio tamquam in Democriti puteo adhuc latitaret; haec physicas quaestiones reconditas plane illustrat; haec in caeli spatia vastissima excurrit, quaeque in vulgari Geometria propter calculorum infinitatem impervia erant, facillime solvit, quasique per ludum; haec se per omnes artes, scientiasque omnes, totamque humanam vitam insinuat, ut nihil plane illa bene constitutae civitati possit esse opportunius. Non immerito igitur ex tanta hujus facultatis dignitate, ac utilitate

factum

factum eſt, ut eam celeberrimae toto orbe terrarum Academiae prae ceteris artibus colerent induſtria, & impenſa quantacumque. Extant multa ubique Analyſeos infinitorum ſtudia: extat praeſertim Pariſiis Regia ſcientiarum Academia, quae hac in parte potiſſimum ſibi deſudandum exiſtimat. Sed quid ultra montes exempla quaerimus? nonne hìc in luce Italiae ampliſſimi Senatus beneficio mathematica ſtudia augentur in dies, & ornantur? Huic nos lectiſſimo Ordini tanta ſinguli debemus, & univerſi quicumque in hanc ſcientiarum ſedem ad aliorum inſtitutionem vocati ſumus, ut nihil ſit ultra. Etſi autem ad omnia civitatis commoda quadam veluti in ſpecula poſiti Patres optimi ſolertiſſime vigilant, in re tamen praeſertim litteraria procuranda ita videntur eſſe toti, ut nihil ab iis curae, nihil laboris deſiderentur. Numquam enim ceſſant praeſtan-

tiſſimos

tissimos artium Professores eligere, qui ex hoc loco, tamquam ex tripode Apollinis, Musarumque oracula ad juventutis eruditionem, ad Patriae incrementum, ad PONTIFICIS SAPIENTISSIMI gloriam patefaciant. Quod si me nullius ferme ingenii hominem in partem vocarunt provinciae tantae, illud, opinor, cogitarunt, eam esse humanarum rerum conditionem, ut mala bonis ubique permixta sint. Ceterum quantum in me erit, laboribus, vigiliisque mehercule contendam non publice modo, sed etiam privatim, ut immortale hoc beneficium, quod mihi Viri Nobilissimi conferendum putarunt, non male collocasse, videantur. Ita meam vobis obstringo fidem Princeps Eminentissime, Patriae Patres, quotquot adestis, Vigilantissimi, quibus videntibus, & audientibus nihil temere ostentare ausim, nihil nisi ex animo polliceri. Utinam praeter

labores meos, hoc eſt praeter tenuiſſimam, nulliuſque pretii rem aliquid haberem, quod vobis in praeſens pro inſigni veſtro beneficio rependerem! Sed quoniam nihil mihi dedere Superi veſtra dignitate, & amplitudine dignum, facite pro tanta iſta humanitate, ut hos qualeſcumque probetis, & gratiarum loco recipiatis. Hoc ipſum egregiae liberalitatis veſtrae argumentum erit, quod talia mihi beneficia contuleritis, quae nulla poſſint ratione exaequari; erit & bonitatis, quod minima quaelibet pro dantis infirmitate penſetis, vobiſque, meritiſque veſtris ſatis eſſe velitis.

FINIS.

Vidit D. Augustinus Maria Alfieri Cler. Reg. S. Pauli, & in Eccl. Metrop. Bonon. Poenit. pro Eminentiss. & Reverendiss: Domino D. Jacobo Card. Boncompagno Archiepisc. Bonon. ac Sac. Rom. Imp. Principe.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Victorius Massa Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiae.

BONONIAE MDCCXV.

Ex Typographia Julii Roſſi, & Socc.
ad Vexillum Roſae prope Studium.
Superiorum Auctoritate.